ama me tui constanter amantissimum. Cuique in ore ~~semper~~ Mo est perpetuò nobilissima Ciceronis execratio: In tam caecorum civitate sit ista personalitas odio habere eos a quibus de veritate dissentias. Ignosce si memoriae lapsu magnum scriptorem mendose cito. libri enim ad manum non sunt. In castris ad Arcem Philippinam Non: Quint: CIƆIƆCXXXIX.

De casu lapidis, quid demonstraveris imprimis scire aveo. Chronicum ~~antiqu~~ anecdotum Samaritanum Lugdunensibus meis curae sit, parum scio. sciscitabor tamen, et quid sperari possit, certior factus, tibi quoque indicabo.

Annae Mariae a Schurman.

Nobilissima virginum (278)

Imposuit mihi, ut vides, curam epistolii hujus P. Marinus Mersennus, Monachus Parisiensis, non de minimis ex eorum ordine, quos οἱ ὁδηγοὶ τυφλῶν τυφλοί, mini mos appellant. Et mos gerendus fuit amico, multâ mihi scriptione, cum publicâ, tum ad me et alios privatâ notus. de caetero, non is sum, qui amicitiae inter vos capu landae autor vel proxeneta dici gestiam. Sacra enim ut ~~non~~ omittam, et pertinacem à nobis de summâ veritate dissensum, vir est coenobita eruditionis vastae diffusae, indigestae, faciem dicas universi, quam Poeta fabulatus est, ante mare et terras: Ingenium ~~quoque~~ denique, quo cum si commercio literarum inis, praedico, non ignarus mali, epistolis, quaestionibus, problematis quotidie te exercendam, fatigandam, obruendam. Quid hic studiis tuis tibique expediat ἐξαγορευομένῃ, ut facis longè pretiosissima rerum τ" χαιρόν, tute videris. Ad primam hanc, ni fallor, salutationem, ut nihil reponas vix, opinor, humanitati tua imperabis. nisi facis, curandis literis operâ meâ, si gratum habes, uti licet.

Vale decus Belgij ab Rhenoberga vii Calend: Sept. CIƆIƆCXXXIX.

Addictissimo Tui
C. H.

Bannio.

Vir Clarissime ac Doctissime (279)

A Mersenno nostro, omnigenae sed indigestae eruditionis viro non unâ, ut vides, plagâ te ferio, secuta enim sese sunt haec epistolia brevissimo intervallo. quid facias? itâ

ita ingenium est hominis; quem nisi planè fugis et
abdicas, ferendum est variâ, multâque quæstione
ad nauseam exerceri. Ad alteram harum si ambigis vide
numquid Heroe Descartio digna sit. latet hic certè
φυσικόν τι, ex quo nondum videre memini, qui se satis
expediret. quamquam inter Gallos ~~as~~ Germanosque peri
tissimos et Musicæ non ignaros Tubicines ajunt omnes
ab imo sursum Tonos exprimi, quod fateor equidem vix
me adduci ut credam. Ad priorem quæstionem quod
attinet, constat mihi omnem Campanam, omnem
calicem vitreum, tres diversos, neque uno plures aut
pauciores, sonos, ~~eodem~~ edere eodem ictu. Campanæ
quidem hactenus experimenta non vidi. In vitro autem
novi, qui singulos sonos sibilando ordine eliceret: sibi
lando inquam: nec emisso quidem flatu, ut solemus,
attracto: ne vim aeris repercussi inspectam habeas.
Demonstrabat hoc vir nobilis et cæcus, sed stupendi au
ditus et judicii, van Eickius, cognatus meus; neque
hercule investigandis sonis hæsitabat, sed, quasi injectâ
manu lictor, singulos tot sibilis, evocabat; mirabundo
interim, ac tantum non ægrè ferens, idem a me, et
cæteris segnius ac prætentando effici. Tu quid ad rei
caussam Theoricè allaturus sis avidè expecto. Multò
autem avidius libros tuos de re Musicâ; quos quousque
frustra καὶ ἐπαμβλύδην polliceris! μὴ χλευάσῃς.
Tandem orbi universo datam fidem libera: aut
omninò causam sonticam, quominus id facias, mihi
proba. ut sit in antecessum unde cæteris creditoribus
quos inter vides quam hic acer et importunus sit, ad
tempus satisfaciam. Vale vir amicis̃ et me ama.

Rhenobergæ VII Calend: Planè tuum.
Sept: ƆIƆIƆCCXXXIX. C. H.

J. Beverovicio.

Vir Amplissime ~~ac~~ Doctissime (280).

Certum est mihi, omnem vel levissimam occasionem
salutandi te vel compellandi oblatam amplecti, non
oblatam accersire. Alterutrumne hic in utrumque
committam, tu videris. Saluto equidem te, et com
pello. Tanti est a Mersenno qui literatos omnes,
et literas, et ipsam mihi literaturam delassare videtur
nonnunquam interpellari. Si non ingratissimè obtundo
rescribe

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 98rv
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2214